



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Quomodo solvenda sint ea, qua ex voto debentur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Dioecesanam spectet oneris talis impositio, à qua monasteria omnia sunt exempta, tum quòd in talibus casibus fiat quasi alienatio aliquis juris Ecclesiastici, & servitutis cujusdam in rebus Ecclesie constitutio, quæ sine solemnitatibus certis prohibita est Episcopis. Neque conceditur Episcopis, quòd possint Ecclesiis, quas de manu fortasse, seu potestate Laicorum liberaverunt, novum censum imponere, prout decernitur etiam in *Eccl. 9. h. 1.* præstitit enim in tali casu Episcopus, liberando Ecclesiam de manu Laici, ad quod ex officio tenebatur, & consequenter in compensationem quasi beneficii, nullum novum censum imponere potest. Quin etiam *ex c. Cum Clerici 12. h. 1.* patet, quòd Clerici, qui colendo v. g. cum religiosis suas Ecclesias censuales constituerunt, quales non fuerunt ex sua fundatione, aut legitima auctoritate, à suis Ecclesiis sint amovendi, & *ex c. Significavit 13. h. 1.* patet, quòd cogi possit & compelli debeat, ad remittendum iuramentum, cui sub juramento novi censûs solutio ex bonis Ecclesie promissa fuit: & denique *ex c. gravis 15. h. 1.* patet, quòd neque patroni, sive Laici, sive Clerici hi sint, post fundationem novum censum Ecclesiis suis patronatus imponere, aut veterem augere possint, ne gravandi Ecclesiam pro placito ansa detur, & occasio.

§. III.

In qua moneta solvendi sint census seu pensiones, & alia debita pecunialia?

Multa jam olim in Germania tributa fatigavit, hæc intricata, &

difficilis quæstio, ob mutationem varietatis monetæ, quoad valorem intrinsecum, sive bonitatem monetæ; vel quoad valorem extrinsecum, sive æstimationem monetæ à lege publica, vel alterius magistratus, jus cudendi monetam habentis, taxatam, quia tamen longius examen hæc quæstio requirit, & hodie rarè usûs est, cum per privatas conventiones litigiosæ huic sæpius mutationi satis caveatur, ideo ad *Auth. Method. & ad Layman in sua Theologia morali l. 3. tit. 3. p. 1. cap. 5. n. 19.* uti & *ad c. Olim 20. h. 1. & ad c. Cum Canonicis 26. eodem*, remittitur, qui plura de hac quæstione scire petat.

§. IV.

Quomodo solvenda sint ea, quæ ex voto debentur?

Neque hæc quæstio multi examinis apud Canonistas est, cum illius decisio ex Theologia Morali petenda potius sit. Videatur *c. Ex parte 18. h. 1.* juxta quod, si certa mensura v. g. determinata non sit, ad quam solvendam se quis sub voto obligavit, communis tamen usus regionis, & generalis consuetudo habeat, aut aliæ circumstantiæ exigant, ut solutio talium votorum fiat juxta certam mensuram, aut juxta certam speciem, juxta hanc solutio facienda est.

